

Alte Drucke

**M. T. CICERONIS || EPISTOLÆ AD || COMPLVRES SCRIPTÆ, ||
QVAS VVLGO FAMILIARES || APPELLARVNT, || EDITÆ || DE
SENTENTIA || IOACHIMI CAMERARII || ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1578

VD16 ZV 31063

MARCII TVLLII CICERONIS VITA PER IOAN. BAP. EGNATIVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149712

MARCI TVLLII
CICERONIS VITA PER
IOAN. BAP. EGNA-
TIVM.

QVIA ad Epistolarum primilibri cogni-
tionem non parum conduxerit, vitæ &
casuum autoris cognitio, eam complectar pau-
cissimis. M. Tullius Cicero Arpini natus: Ro-
mæ, quo puer perductus fuerat, tantum in di-
scendo profecit, vt in causis dicendis primum
locum consecutus sit, tantumq; veritatis &
Reipub. studio potuit, vt omnes honores suo
ordine obtinuerit. In consulatu autem sese ges-
sit, vt non minus veræ gloriæ in toga merue-
rit, quam alius quisquam in armis: liberauit
enim urbem ab incendio, & ciuitatem à cæde
coniuratorum Catilina duce: in quos eum
animaduertisset, & Catilina iam in prælio ceci-
disset, primus in toga triumphauit, primusq;
parens patriæ appellatus est, erectis eius glo-
riæ perpetuis monumentis: quæ res illi inui-
diæ non parum peperit, præsertim apud Cæ-
sarem: & paulo post apud Clodium virum ap-
prime nobilem, qui captus amore Pompeiæ
uxoris Cæsaris in domo eius, in vesti muliebris
deprehensus est temerasse festa Bonæ (mari-
bus non adeunda) deæ, ob quam rem in ius
vocatus, negauit se tunc in urbe fuisse: cita-
tus autem Cicero in eum testis, asseruit Clodi-
um eo die secum Romæ fuisse, quod idem &
alii præclari viri testati sunt. Clodius tamen
iudicibus

iudicibus corruptis pecunia absolutus est: Cæsar autem vxorem repudiavit, quod diceret, domum Cæsaris non solum crimine, sed etiam suspicione criminis vacare debere: in Clodium, vt Ciceroni incommodet, nihil grauius egit. At Clodius vltionis auiditate à patribus ad plebem per adoptionem transiuit, factusq; Tribunus plebis Ciceroni dié dixit, quod nobilissimos ciues necasset indicta causa. Erant autem tunc consules L. Piso Cæsaris focer, & P. Gabinius, qui prouinciarum spe Clodij conatibus fauebant. Quod intelligens Cicero, cū neq; à Pompeio, neq; ab alijs amicis satis tutaretur, aufugit: absensq; damnatus est à Clodio, vt bonis eius publicatis quadringentis milibus passum ab Italia igni & aqua illi interdiceretur; qui vero hospitio suscepisset, exul esset & sua amitteret omnia: additumq; rogationi est, ne quis de eo reducendo referret, disputaretue, aut pedibus in sententiam iret, quæ omnia populus sciuit atq; approbavit, maxima vt semper fuit, animorum mutabilitate. Clodius ita exulis villas diripuit & incendit, domum in palatio à fundamentis demolitus est, & in area templum libertatis constituit. Fortunas omnes hastæ subiecit: nec tamen in tota illa auctione sector quispiam repertus est. Cicero in Macedoniam aufugit, vbi à Planco benigne exceptus est: Clodius autem ob victoriam insolentior factus, etiam Pompeium in publica concione contumelijs prosciuit, quærens, vt populus, quod Pompeius is esset, responderet.

Quis

Quis vno digito caput scaberet? quis vir virū
 quæreretur? & similia. Quæ contumelia iritatus
 Pompeius, fretusq; Lentuli autoritate, ad quæ
 proximæ sunt epistolæ, & qui Ciceroni amicis-
 simus fuit, autor fuit Tito Annio Tribuno
 pleb. vt rogationem ad populum ferret de Ci-
 cerone reuocando. Quæ res ingentes turbas
 concitauit. Clodius enim cum factione sua, tri-
 bunitiæ obstitit rogationi, eoq; obtinente ali-
 quandiu nihil agi potuit, certatumq; est inte-
 rim in publico armis, tribunitiaq; potestas vi-
 olata est, multi quoq; interfecti, adeo vt Qu.
 Cicero Marci fratrer inter cadauera latitans,
 sit seruatus. Postremo Pompeius ingenti bo-
 norum manu ad hoc ipsum ex tota Italia colle-
 cta, Clodium foro expulit, auxilioq; fuit, vt
 populus sine aliquo maiore motu rogaretur.
 Nunquam maior populi Romani de aliqua re
 consensus fuisse dicitur, neq; tam magnum ali-
 as totius Italiæ studium, quæ ad hoc ipsum
 Romam confluerat, vt non magis eleganter,
 quam vere Cicero postea gloriatus sit, Italiæ se
 humeris ab exilio reportatum. Senatus caritate
 & beneuolentia cū populo certauit, decreuitq;
 vt publice laudarentur ciuitates, quæ Cicero-
 nem humaniter acceperant, vt domus & villæ
 eius publico instaurarentur sumtu. Redijt sex-
 to decimo mense, postquam vrbe eiectus fue-
 rat, in senatuq; aliquantulum floruit, quo tem-
 pore ad Lentulum primi libri epistolæ scri-
 psit: deinde Cilitiam post Lentulum & Appi-
 um Claudium Pulchrum, provinciam obti-
 nuit:

nuit: vnde reuersus bella ciuilia inter Cæsarem & Pompeium offendit orta, quæ res effecit, vt triumphare non potuerit: diu autem ad concordiam vtrunq; frustra hortatus, Pompeium tandem secutus est, quo victo & occiso, per Dolabellam generum suum Cæsari reconciliatus, cum in foro locus non esset, ad philosophiam se contulit. Tandem Cæsare occiso, cum libertatis publicæ gratia eius percussores tutaretur, & in Marcum Antonium Cæsaris vindicem Philippicas habuisset, postquam Ant. Lepidus & Augustus Triumviratum inissent ab Antonio alijs conuiuentibus proscriptus est, & in fuga deprehensus, capite & manu qua Philippicas scripserat, truncatus est.

VITA M. TVLLII CICERONIS EX T. LIVII HISTORIARUM LIBRO CXX. descripta ex antiquo exemplari.

MARCVS Cicero sub aduentum Triumvirorum vrbe cesserat, pro certo habens id quod erat non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Calsium & Brutum posse. Primo in Tusculanum fugerat: inde transuersis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conscensurus, proficiscitur: vnde aliquoties in altum profectum cum modo venti aduersi retulissent, modo ipse iactatione nauis cæco volente fluctu, pati non posset, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit. Regressus ad superiorem

riorem villam, quæ paulo plus mille passibus à mari abest, Moriar, inquit, in patria sæpe seruata. Satis constat seruos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, & quietos pati, quod fors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica, præbentique immotam ceruicem, caput præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in rostris positum: vbi ille consul, vbi sæpe consularis, vbi eo ipso anno aduersum Antonium, quanta nulla vnquam humana vox cum admiratione eloquentiæ, auditus fuerat. Vix attollentes lacrimis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant. Vixit tres & sexaginta annos: vt si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit. Ingenium & operibus & præmijs operarum felix: ipse fortunæ diu prosperæ, & in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium, pro quibus steterat, filix morte, exitu tam tristi atque acerbo. Omnium aduersorum nihil vt viro dignum erat, tulit, præter mortem, quæ vere existimanti minus indigna videri potuit, quod à victore inimico crudelius passus erat, quam quod eiusdem fortunæ composito fecisset. Si quis tamen virtutibus vicia pensarit, vir magnus ac memorabilis fuit, & cuius in laudes sequendas Ciceronem laudatore opus fuerit.

CATA-